

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0927

0925

0931

0921

0936

0916

0976

0876

1026

0826

0426

Ende

Anfang

354

autem in hoc loco, ut prius patuit, omnium rerum cognitionem accepit et cuncta perspicue vidit. Quandoque vero nominatur Chebron, quod interpretatur transscendens, quia ab eo loco transcendent Adam ad paradisum. Quandoque nominatur Ebron, quod interpretatur transitio vel regressio, quia post peccatum huc fuit regressus. Quandoque dicitur Hebron, quod idem est, quod vallis paupercula, propter miseras, quas Adam in hoc loco expertus est, et defectus hujus vitae mortalis.

Vicesima octava die, quae est festum beati patris nostri Augustini, post noctis medium surrexi ex more ante alios ad dicendum Officium meum. Descendi ergo ad portam, ut candelam accenderem ad lampadem, quae ibidem pendebat, sed Sarracenus portae custos obstitit meque a lampade retrusit cum multis et magnis clamoribus, e contra vero ego ad lampadem conabar accedere et lumen accendere, sed totiens mihi extinxit, quotiens accendi, et ambo conclamavimus in tantum, quod Trutschelmannus excitatus accurrit et me itallicis verbis increpavit, quare non in quiete manerem et quid tam mane cum lumine agere vellem. Cui cum dicerem, Deum laudare volo, cuius laudes ex libro legere intendo, hoc cum Sarracenus ille audivisset, praecepit custodi, ut accenderet mihi lumen. Quod et fecit. Certus autem sum, si lumen ad alium usum postulassem quemcumque, nullatenus habere potuisse. Accepto ergo lumine ad locum meum ascendi et Officium legi. Vix autem matutinas finieram, ascendit Trutschelmannus Calinus et caeteros peregrinos excitavit, ut disponerent se ad recessum. Disposuimus ergo nos et camelis oneratis et asinis stratis de urbe in crepusculo egressi sumus descendentes per vallem Ebron contra austrum, aliquantulum tamen declinando ad occidentem. In agrum autem quendam venimus, in quo deambulabat Isaac meditando, quando Damascus, servus Abrahae, adduxit sibi Rebeccam puellam uxorem, ut habetur Geneseos XXIV.

Procedentes consequenter venimus non longe a Dabir, civitate litterarum, quam tamen videre non poteramus, quia mons intermedius erat impedimentum praestans (b). De hac civitate habetur Josuae XV, et Judicum I.

